



**A**canda adhibita uaporatione spongiarum calidarum. Ipsam quoque cauernam inuoluta lana per melotida oleo calido tincta paulatim penetramus, atq; illic lana derelicta ferramentū detrahimus. Tunc declinate passione cerotaria a se posimus, dantes uariū cibum & uinum: ac si humoris fuerit fluor, quē reumatismū uocant, eadem adhibemus quæ initio doloris adhibenda probauimus. Dehinc eorum augemus potentiam, ut cauernæ ipsi faciamus infundi collyrium, quod appellamus diaglaucium ex uino solutum, uel aceto, uel illud medicamen quod *Diaglaucium.* appellent heren, uel mulsū ex uino factum: Quod sit præcoctum in mali punicici cortice, cum nardo, uel amygdalis amaris, & aceto, croco, & myrrha, & alumine, uel ex herbarum succis constrictiue uirtutis, tum auriculæ uicinantia circularim cataplasmata, ex cydonio malo, ac simili medentiu uirtute contegemus, uel medicamen quod appellatur diaiteo, quod est siccatiue uirtutis, uel icelio, aut diadictamno, & hijs similibus. Dehinc si passio coegerit, radendum est caput, & constrictiuis cataplasmatibus contegendum. Dandi etiam cibi constrictiui, & lenimenti temporibus, siue dolorum tardantium, siue humorū fluentium resumptiuus adhibendus cyclus, tunc recorporatiuus. Et localiter ipsis cauernis per clysterem modicum iniicienda, nunc destillatio aquæ cineribus liquata, quam uulgo lixiuium uocant, Græci coniam, nunc sinapi liquido, atque *Lixiuum.* etiam admixto fico erunt exteriora cataplasmanda, donec rubor maximus fiat, quem Græci phœnigmon appellant. Item eundem immisione medicaminum *Leonia.* ex garo confectorum, quod uulgo liquamen appellant, uel hijs uirtute similiū *Φεινιγμός.* materiarum. Tunc etiam totius capitis curationem ex illusione aquarum supercadentium, quam Græci cataclysmum appellant. Quibus etiam aurium uicina sunt maxime concuranda. Dehinc acopibus & dropacis, & malagmatibus acrioribus, & aquis naturalibus utendum: Sic enim intardata corporibus emoueri, atque excludi mutatione poterunt curationis.

## DE DOLORE DENTIVM. CAP: IIII.

**S**unt dolores dentium nunc omnium, nunc aliquorum, nunc unius, cum sibi uicinantibus gingiuis, ut etiam contumescant, ac sæpe ora faciant subinflari, uel eorum aliquas partes crescente passione terebrari: Nam sæpe dentes & gingiue computrescunt, corruptis ossibus quibus natura inserti sunt, recedentibus tumore cogente gingiuis. Sed etiam nunc erit curationis diligentia partienda, ut initio doloris, uel certe si ita passio recurrendo tardauerit, superpositionis alia adhibeatur curatio, alia lenimenti. Quapropter adhuc recedentibus passionis motibus, uel in asperitate superpositionis doloris constitutis, conuenit abstinentia cibi, atq; requies corporis, ut initiorū causæ aqua quæ uirtute constringat collutioni oris adhibenda sit, ut est à plerisque conscripta decoctio in aqua & uino herbæ syderitis, uel acaciæ, uel leuces, quam etiam polium uocant, aut mandragoræ, sed non sine cautione, ne quid ex ipso liquore transuorent ægrotantes. Item pentaphylli herbæ, aut papaueris, necnon personatix, aut herba phlomon in pusca decocta, uel ex cornu ceruini drachmīs quinque, & acetī hemina usque ad sui medietatem decocta, uel de pinguis cum aceto decoctæ, aut alterci radices cum uux lupinæ succo, & uino sufficienti simul coctæ. Erunt præterea ex hijs, aliqua parte in doloribus constituta, apponenda uel lenientia, uel simili uirtute medentium materiarum. Tunc cum dolor uehementescere cœperit, lecto tradendus est æger, atque blando tempore calefacien-